



32
f.

DEO BENE IUVANTE

DE MORA.

Sub Præsidio

FRIDERICI DASY,
PODII I. V. DOCTORIS
ET PROFESSORIS IN

acad. Iul. primarij

disputabit

ex sequentibus thesibus

ERICVS CLACIVS Mund.

IX. Maij,

in auditorio maiori

*In Veri inuestigatione, dua res maxime fugienda sunt:
primium, ne res incognitas pro cognitis habeamus, hisque temere
assentiamur. secundo, ne nimis magnum studium multamque o-
peram in res obscuras minimeque necessarias conferamus. Tul. in
offic.*

1598, 2
8




HELMAESTADII

Excudebant hæredes Iacobi Lucij, Anno

M. D. XCVIII.

Reuerendisso. Illustrisso. potentissoq;
Principi ac Domino.

DOMINO HENRICO IULIO E-
PISCOPO HALBERSTADENSIVM PO-
STVLATO, DVCI BRVNSVICENSIVM
& Lunaburgensium, Domino suo
clementissimo.

 *Reuerendissime, Illustrissime, potentissimeque Princeps, Do-
mine clementissime. Quadriennium est, ex quo in numerum
alumnorum Reuerendissae & Illustrissae celsitudinis tuae sum
adoptatus. Adoptatus autem sum in clientelam Principis
potentissimi, literatissimiq;, quod ego in magno beneficio ha-
beo & bene mecum actum intelligo. Multum eo nomine debeo Magni-
fico & Nobili viro Dn. Ioachimo Gotzenio & c. cuius virtutes eximia in
ore omnium sunt: humanitas cum tanta grauitate & prestantia coniun-
cta in admiratione. Ego meum officium scio & haectenus, opinor, feci. Sex-
ennium, iam iuri in academia Iulia, dedi operam. de profectu ipse nihil
dico, & quod non ita magnus sit, & quod sui ipsius laudatio suspecta esse
soleat & indecora. Praeceptorum meorum, imprimis vero Dn. Valentini
Forsteri Ordinarij, Andreae Cludij, Friderici Dasypodij, qui etiam in hoc
negocio mihi deesse noluit, beneuolentiam & iuuandi studium sensi haec-
tenus, & de ijs mihi multum polliceor: Fecerunt mihi ante hac priuatim dis-
putandi copiam. conditionem hanc urgeo & in ea sum totus. non dico id,
quod putem me laudem meruisse: feci, ut caream culpa. Illud nunc ago,
ut Reuerendissae & Illustrissae Celsitudini tuae quale quale profectus mei te-
stimonium exhibeam. Conscripsi igitur disputationem praesentem, de
difficili mora materia, quam Reuerendissae & Illustrissae Celsitudini tuae
submisisse offero, & peto, ut hanc ipsam clementer velit accipere, meaq;, stu-
dia iuuare. Ego, ne spem de me conceptam fallam, ita laborabo ac si in eo
mihi essent omnia. Deum oro ut Reu. & Illust. celsitudinem tuam patia-
tur viuere longissime, florere maxime. Ex acad. Iul. Cal. May. c19 12 11c.*

deuotus, deuinctus
ERICVS CLACIVS Resp.



DE MORA.

Thef. I.



Ora quid sit, definiiri potest *a*, & debet *b*: an vel quando commissa sit, ex certa regula sciri non potest *c*.

a Nam & hoc certum est & iure consistit, qualia definitione comprehendi possunt. *b* Quia omnis quae a ratione suscipitur de aliqua re institutio, à definitione proficisci debet. Tull. 1. offic. *c* Nam hoc in facti scientia consistit, qualia ex facto iudicamus, nec sine eo intelliguntur, quae sint. l. Mora. 32. De usur. argumento l. Quatenus 23. de R. I.

2. Definiunt autem moram alij aliter: pauci rectè. Placet, quod mora sit dilatio debiti soluendi vel non recipiendi sine iusta causa admissa.

Dn. Præcept. Sen. & Ordin. Valent. Forsterus in suis prælectionibus de Mora.

3. Mora vicio personæ contrahitur *a*, persona autem aut in debito non præstando aut credito non recipiendo moram facit, hinc alia debitoris est, alia creditoris *b*.

a l. Mora 32. De usur. Nam in mora requiritur ut per eum, qui moram fecisse dicitur, factum sit quo minus quid fieret aut daretur l. Quod te 5. De reb. cred. l. si ex legati 23. de V. O. *b* Nam per debitorem stare potest quo minus det, quod debet: per creditorem quo minus accipiat, quod datur. l. Hominem. 37. Mand. Et sic uterque in mora poni.

4. Ut debitor in mora constituatur concurrere tria debent. i. ut ira debeat, quo ad soluendum compelli possit *a*. In eo, quod naturaliter tantum debetur, non committitur mora *b*: nec in debito, quod per exceptionem elidi potest *c*.

A 2

a Nam

a Nam non intelligitur mora ibi fieri, ubi nulla est petitio. l. si pupillus. 127. de V.O. l. Nulla. 89. de R.I. *b* Hinc pupillus si contrahat, in debito non committit moram d. l. si pupillus. 127. de V.O. *c* l. lecta 40. vers. Non enim in mora. de reb. cred.

5. II. *Vi sit interpellatus a.* Interpellat autem aut homo aut lex pro homine *b.*

a Nam nulla est mora ubi nulla petitio d. l. Nulla 89. de R. I. nec videtur frustrari qui non compellitur vel interpellatur, argumento l. 3. de indic. *b* l. Magnam. 12. C. de contr. & committ. stip. argumento l. Ad diem. de V.O. Et haec dicitur interpellatio tacita.

6. Homo qui interpellat, debet esse idoneus *a*, idoneus autem est creditor vel alius, cui tuto solui potest *b.*

a Cuiac. tract. 8. ad Africanum in l. 27. de usur. *b* Sic procurator, qui habet speciale mandatum potest interpellare l. si quis solutioni, 24. §. Mora. 2. l. Mora 32. §. 1. h. t. Sic etiam heres interpellare potest. Hoc autem casu procurator & heres, debent suam conditionem probare. Nam quid negat solutionem procuratori vel heredi, dum est de conditione illorum incertus, excusatur à mora l. si quis inficiatus. 13. de pos. Si alius interpellat, cui tuto solui non potest, nihil agitur. Nam si hoc casu debitor solvere maxime vellet, non potest tamen, & sic nihil ei imputari potest.

7. In interpellatione hac requiritur instantia *a*, & ut recte fiat, id est, tempore oportuno, loco commodo *b.*

a id est debet creditor perseverare in interpellatione l. Mora 32. h. t. Nam si obiter tantum admoneat & desuntorie petat, quantum ad moram attinet, non interpellat, quia equiparantur desuntorie tantum petere & non petere l. 2. §. Non solum. 32. Ad SC. Tertull. *b* Nam si loco alio fiat interpellatio creditor habet iustam causam, ad debitum non accipiendum l. si soluturus 39. de solut.

8. Iudicialis nò an extrajudicialis interpellatio ad constituendum aliquem in mora requiratur Doctores & heri & hodiè quærent. Putamus hoc totum esse in electione creditoris: potest is eligere quam vult.

Nam leges non requirunt, ut quis sit in iudicio interpellatus sed tantum.

3.
tum ut interpellatus sit. l. Mora 32. h. t. l. si ex legati. 23. d. V. O. l. Illud 17. De perci. & com. rei vend. l. Qui decem 73. in pr. de solut. iam autem tam interpellatus censetur qui extra iudicium quam qui in iudicio interpellatur. Ideo potest creditor vel iudiciali vel extra iudiciali interpellatione uti. quod enim leges generaliter disponunt non debemus ad certam speciem trahere. l. Metum. 9. §. 1. Quod met. caus.

9. De eo dubitatur: an vna interpellatio sufficiat: an verò requirantur plures? Putamus vnam sufficere.

Nam ad id, ut quis in mora constituatur requiruntur Icti interpellatum esse. d. l. Mora 32. h. t. Iam qui semel interpellatus est, is interpellatus rectè dicitur, Deinde ex unica interpellatione potest quis certior fieri de soluendo. Non requiruntur igitur plures interpellationes, qui enim certus est certiorari amplius non debet e. Non debet de R. I. in 6. nec certiorari debet qui non ignorat l. 1. in fin. de act. emt. l. Nemo. 187. de R. I.

10. Dies autem pro homine interpellat si quod certo die dari debet, eo die non detur.

Nam hoc casu debitor ea quæ promisit ipse in memoria habere, nec ab aliis manifestari poscere debet l. Magnam. 12. C. de contrahen. & committ. stip. Vt enim hoc sciat, prestitutus est dies.

11. Magna quæstio est de obligationibus faciendi: An si tantum temporis, effluxerit, quod ad faciendum opus sufficere potuisset, debitor ex eo statim in mora constituatur & dies pro homine interpellat? Putamus interpellatione expressa opus esse a, & debitorem in mora constitui, si post interpellationem tantum temporis effluxerit, quod ad faciendum sufficit b.

a Nam in legibus, quantum ad hanc disputationem. non distinguitur inter obligationem faciendi & dandi sed simpliciter interpellatio exigitur. l. Mora. h. t. l. si ex legati. 23. de V. O. Deinde eadem est ratio in obligationibus faciendi quæ in obligationibus dandi.

b l. si insulam 83. l. continuus 137. §. item qui insulam l. Existimo 98. §. fin. de V. O.

12. Huc pertinet quæstio: an etiam conditio obligationi adiecta pro homine interpellet? Negamus.

Nam euentus conditionis facit, ut incipiat obligatio: non urget, ut quod iam debetur, solvatur. quia, qui sub conditione debet, is iam non debet. obligationis enim dies nec cæsit nec venit. l. cedere diem. de V. S. Et sic qui statuunt conditionem pro homine interpellare affirmant eodem tempore & obligationem & moram nasci, quod absurdum est argumento l. Quoddicimus. 105. de solut. l. promissor. 21. § 1. de constit. pe. un.

13. Illud notandum est quibusdam casibus iure singulari receptum esse ut mora sine interpellatione committatur: quibus casibus debitor ultro offerre debitum debet & nisi obtulerit in mora constituitur.

14. Primo hoc receptum est in minoribus: si quid his debetur nec solvitur; mora sine interpellatione committitur *a*: postquam minor factus est maior, hæc mora non durat: sed nova interpellatione opus est *b*.

a l. In minorum 3. C. ex quib. caus. in integ. restit. necess. non est l. cum vero 26. §. Apparet 1. vers. certe minoribus. de fideicom. libert. Et hoc receptum est in ætatis favorem l. curabit 5. C. de action. emt. Nam magna est huius ætatis ignorantia & imperitia, & nulla utilitatis præmissio, unde fit, ut minores aut tardius petant aut non petant. Don. de mor. c. 6. b l. Titia Seio 87. §. usuras. 1. de leg. 2. Hinc eo casu quo minor fit maior desinunt usura currere: quod notandum est tanquam speciale: & pro mora hoc non est habendum, quam sufficit semel interuenisse, ut perpetuo usura debeantur. d. l. Titia Seio 87. §. usuras, de leg. 2.

15. Idem iudicium est de Ecclesia, republica *a* & fisco *b*.

a Nam Ecclesia, respublica iure minorum 25. an. utuntur l. Respublica 4. C. ex quib. caus. maior. c. Auditis de in integ. restit. Eberhard. in Top. in loc. à minor. ad Eccles. & in loco à repub. ad Eccles. b l. cum quidam. 17. §. Fiscus. s. h. t. Eberhard. in loc. à fisco ad Eccles. & in loco ab Eccles. ad fisc.

16. Fit

16. Fit etiam mora sine interpellatione in fideicommissarijs libertatibus *a*: & in dote elapso biennio à die contracti matrimonij *b*.

a Hoc ideo receptum est quod eiusmodi libertas ab ijs, quibus relicta est vel propter eorū ignaviam vel timiditatem vel ignorantiam, vel propter dignitatem & auctoritatem eorum à quibus relicta est, vel serius vel in totum non petatur. l. cum vero 26. §. 1. de fideicom. libert.

b l. ult. §. Præterea C. de iur. dot. Potest tamen is qui dotem debet ante lapsum biennij in mora constitui, sed ad hoc requiritur interpellatio d. l. ult. in fin. C. de iur. dot.

17. Re ipsa quoq; mora fit in contractu emtionis venditionis: si nimirum venditor rem tradiderit precio non recepto.

l. curabit. 5. C. de act. emt. Nam ipsa rei traditione satis admonetur emtor de precio soluendo.

18. Quæritur: an quod in emtione venditione receptum est, extendi possit ad alios contractus vltro citroq; obligatorios, ita, vt si contractus ab vna parte sit impletus; altera pars re ipsa sine interpellatione in mora constituatur? Extendi potest & debet.

Nam ratio dispositionis quæ in emt. vend. versatur, est etiam in alijs contractibus. Ergo etiam eadem iuris dispositio in his esse debet. quæ enim in ratione dispositionis conveniunt, ea quoq; in ipsa iuris dispositione debent concordare. Et leges propter rationis paritatem extendi debent, ad alios casus ac si de ijs singulariter & in specie dispositum esset.

19. Sic morare ipsa contrahitur contra eos, qui maleficio res alienas occupant *a*. Idem dicendum videtur de malefidei possessore *b*.

a Vt sunt qui res alienas contrectant, rapiunt, vi innadunt: hi dum non restitunt moram facere videntur l. in re furtiva. §. l. ult. De condict. furt. Et sunt plus quam frustratores. l. Merito. penult. De vi & vi arm. *b* Nam qui scit rem alterius esse nec restituit moram facit & usuras debet l. item. veniunt. 20. §. Petitam. 11. D. pet. hered.

20. Illo etiam casu in rem mora fit, quando nemo ex-
tat, qui conuenitur *a*, ad quod creditor alios requirere
debet & totam rem testatione complecti *b*.

a l. sed et si §. ult. de usur. *b* Nam testatio facit ut hac res sit pro
petitione. l. 2. de naut. foen.

21. III. Ad constituendum debitorem in mora re-
quiritur, ut DEBITOR NON HABEAT IV-
STAM CAUSAM RECUSANDI DEBI-
TVM. Qui ex iusta causa differt solutionem, moram non
committit.

Nam qui habet iustam causam optimâ ratione differt solutionem, nec
hoc mora annumerandum l. sciendum 21. h. t. hinc si quis solutionem
differt quod velit amicos adhibere, vel fideiussores rogare, moram
non facit. d. l. sciendum. modo hoc non simulet fraudandi causa. l. si
modo. 22. h. t. Sic qui ignorat se debere habet iustam causam ad dif-
ferendum debitum, quod fit in bona fidei possessore à quo res petitur.
Nam hic non cogitur ad petitionem actoris statim rem restituere sed
potest iudicium accipere & se defendere l. Illud. 40. in pr. De petit. ha-
red. nec qui iudicium paratus est accipere videtur moram facere, uti-
que si iuste ad iudicium prouocet. l. si quis solutioni 24. in pr. h. tit. nec
maluerit debitor litigare quâ rem restituere l. Nemo 82. §. 1. de V. O.

22. Impossibilitas præstationis à mora excusat *a*, quod
est extra dubium, an de difficultate idem dicendum sit &
putamus *b*, non distinguimus inter obligationem dandi
& faciendi; nec speciei & quantitatis *c*, aliud est, si sit
difficultas affectata *d*.

a Nam si debitor non possit præstare debitum, nihil ei imputari po-
test, nec per eum stat. quominus quid fiat: quod ad moram requiritur.
l. Quod te te. §. de reb. cred. *b* l. Datio. 3. §. si per venditorem. de 4-
Etion. emt. Nam ea que sunt difficilia equiparantur cum iis que sunt
impossibilia. argumento l. cum sane. de his qui deiecer. *c* Nam in
his obligationibus eadem potest esse difficultas. ideoq; etiam idem ius
difficultatis statuendum est. ne eadem diuerso iure censeantur.

d d. l. Quod te. §. de reb. cred. Plene & eleganter hac, ut omnia, tra-
dit

dit Dn. Præceptor, Ordin. & Sen. Valent. Forsterus in suis prælect. de mora.

23. Nunc de creditore videbimus, quomodo is in mora constituatur. Et constituitur in mora, si rem oblatam accipere recuset.

l. si soluturus. 39. l. Qui decem. 72. in pr. de solut.

24. Hinc requirimus ad constituendum creditorem in mora oblationem debiti à debitore, recusationem crediti à creditore. Sufficiunt. consignatione & depositione non est opus.

l. Qui Romæ 122. §. Scia 5. de V. O. Nam dilatio crediti non recipiendi sine iusta causa admissa in mora ponit creditorem. vel, sufficit ad constituendum creditorem in mora si per eum stet, quo minus accipiat. l. Hominem. 37. Mandat. Depositio igitur & obsignatio non requiruntur. Ad plenam autem solutionem his opus est. l. si creditrici 6. l. Acceptam 19. C. de usur. vid. Cuiac. tract. 8. ad Afric. in l. si soluturus. 39. de solut.

25. Offerri autem debitum oportet tempore iusto, loco oportuno *a*. Etiam illud tempore iusto offertur, quod debetur ex die, si ante diem offeratur, & si creditor recuset accipere, in mora constituitur *b*, nisi dies in fauorem creditoris sit adiectus *c*.

a l. si soluturus. 39. de solut. b Nam hoc casu creditor potest cogi ad accipiendum, quia quod ex die debetur ante diem solui recte potest. Totum enim medium tempus ad soluendum liberum promissori relinquatur l. stipulatio ista. 38. §. inter certam. 16. de V. O. l. continuus. 137. de V. O. Ergo non recte recusat, quod ipsum debitorem in mora ponit. c Nam hoc casu non potest creditor cogi ad accipiendum ante diem d. l. stipulatio ista de V. O. Et sic iure suo recusat accipere debitum.

26. Debet etiam res quæ in obligatione est tota offerri *a*: & cum suis accessionibus *b*: non deterior *c*:

a Nam si pars offeratur potest creditor recusare creditum. non enim tenetur particularem solutionem admittere, quod ea magna in-
B commo-

X-
re
ro
e-
I-
on
nec
m-
m-
l. si
if-
ur-
sed
ha-
ti-
nec
O.
od
t 2
di
fit
po-
ur.
e 4-
une
in
ius
tra-
dit



commoda habeat. l. Plane. 3. Fam. ercisc. l. Etiam. 27. l. Qui sibi. 33. §. 1. de solut. l. ob signatione. 9. C. de solut. b l. Tutor 41. §. Lucius. de usur. c. Nam res que deterior offertur non videtur offerri argumento l. 3. §. si reddita 1. Commod.

27. Non offeruntur res omnes eodem modo: Si res mobilis debeatur & perferri ad creditorem posset, debet ea creditori exhiberi: Si debeatur res immobilis, offertur ut potest, verbis.

Nov. 91. c. 2. Duar. ad l. si mora. solut. matrim.

28. Hinc si pecunia debeatur, non sufficit si ea sacco inclusam offeratur, sed debet numerari.

argumento l. cum servus 81. de condit. & demonstr. l. 1. §. si cista. Depos. Nam debet creditor cognoscere an tota summa soluta sit, partem enim non cogitur accipere.

29. Ita mora contrahitur. Contractæ effectus sunt varij. Alij ex parte debitoris: alij ex parte creditoris. Ex parte debitoris mora obligationem perpetuat *a*, & si post moram etiam casu fortuito res perierit, non liberatur debitor *b*, sed fit in æstimationem condemnatio *c*.

a l. si servum. 91. §. sequitur. 3. de V. O. b l. si ex legati. 23. de V. O.

Nam lex in odium morosi fingit rem peremptam extare l. Nemo rem suam. 82. §. 1. de V. O. ne sc. debitori sua mora prosit l. Hominem. 37. Mand. c. l. cum res 47. §. ult. de leg. 1. l. Promissor. 23. de constit.

pec. Ipsa quidem æstimatio peti non potest, quia vere non debetur sed petitur res ipsa. d. l. si servum. 91. §. fin. de V. O. In æstimationem autem officio iudicis fit condemnatio vid. Cuiac. ad d. l. si servum. 91.

30. Difficilis est quæstio: an nec hoc casu liberetur debitor, quo res post moram perempta eodem modo perisset apud creditorem, si apud eum fuisset? Putamus liberari *a*, modò creditor non fuisset rem distrahturus *b*. Distrahere autem velle videtur, qui potest: nec hoc spectamus, an probari possit, creditorem, distrahere voluisse *c*. Prædones autem & fures indistinctè interitum præstant *d*.

a Nam

6.
a Nam equum est naturalem interitum ad actorem pertinere, & sufficit actori si hoc ipsum saltem consequatur, quod lucrari potuisset si rem recepisset l. si plures 14. §. 1. Depos. b argum. l. cum res 47. §. ult. de leg. 1. d. l. si plures. c d. l. cum res. & d. l. si plures, l. illud 40. in pr. de pet. hered. Nam non est considerandum, quid non habeat, sed quid haberet si vellet l. item si verberatum. 15. §. ult. de rei vind. Et semper debet fieri interpretatio contra frustratorem. quia semper unicuique sua mora nocere debet. l. in condemnatione. 173. §. unicuique de R. I. d. l. 1. §. Rectissime. l. penult. de vi & vi armat. l. ult. de condict. furt. Nam hi plus sunt quam moratores. d. l. penult. de vi & vi armat. 31. Et hæc vera sunt, si species certa debeatur: si genus vel quantitas, debitor non liberatur interitu siue ante siue post moram res perierit. nec illæ res periisse dici possunt a: nisi quantitas ad certam speciem sit relata b.

a l. Incendium 11. C. si cert. petat. §. In ratione 30. §. incerta 5. Ad. l. Falcid. Nam hoc casu dici non potest rem promissam periisse. cum genus non possit perire. b ut si quis promittat pecuniam in arca vel hominem, equum ex iis, quos habet. Nam qui tale quid promittit, certum quid promittere intelligitur l. ubi autem 75. §. sed qui vinum. 5. de V. O.

32. Deinde usuræ & fructus non tantum, qui percepti sunt, sed, qui percipi potuerunt a, in bonæ fidei iudicijs ex tempore moræ debentur b: idem est in iudicijs arbitrarijs c. & actionibus pro legatis & fideicommissis competentibus d.

a Nam cum de fructibus restituendis vel aestimandis agitur, non tantum consideratur, quod habet debitor, sed quod creditor habere potuisset si ei frui licuisset l. si navis. 62. §. Generaliter. 1. de rei vindic. b l. Mora 32. §. in bonæ fidei. 2. h. t. l. in bonæ fidei C. eodem l. Lucius 24. in fin. de pos. l. Quæro. 54. in pr. locat. Nam bonæ fidei convenit, ut hæc omnia præstentur; & iudex in his iudicijs pro sua potestate potest rem ex bono & equo definire. §. In bonæ fidei. Instit. de actionib. c l. 3. h. t. Nam & in his iudicijs habet iudex potestatem aestimandi ex bono & equo §. Prætera. Inst. de actio. d l. 3. h. t.

33. In strictis autem iudicijs vsuræ vel fructus ex mora non debentur *a*. Interesse quidem, si factum sit in obligatione, ex his ipsis iudicijs debetur, non autem ex mora: sed ex obligationis natura *b*. Si res sit in obligatione & solutioni dies dictus, eo casu, quo res die effluxo fit deterior, in ea causa præstanda est, in qua tunc fuit: Si solutioni dies non sit nominatus, petitione opus est, si postea res fiat deterior; præstanda est in ea causa, in qua fuit tempore petitionis *c*. neque id quidem ex mora, sed ex conventionione *d*.

a Nam vsuræ in strictis iudicijs non debentur extra vinculum stipulationis l. 3. C. de vsur. quod iudex in his iudicijs habeat potestatem strictam & formulæ iudicij alligatam vid. lit. Inst. de obligat. ex consens. *b* §. ult. Inst. de V. O. l. si poenam 68. l. Quotiens 81. de V. O. l. si quis ab alio. 13. in fin. de re iud. Nam harum obligationum, in quibus factum versatur, natura est, ut nemo ad factum præcise compelli possit, sed præstando interesse tollantur. dd. ll. quod inciuile sit & seruire aliquem posse ad faciendum cogi. *c* l. fin. de condict. tritic. l. vinum. 22. de reb. cred. *d* d. l. fin. de condict. trit. l. 3. §. in hac actione. Com. Nam in strictis iudicijs etiamsi mora facta sit nihil debetur nisi in conventionem deductum sit l. videamus. 38. §. si actionem 7. h. t.

34. Post litem tamen contestatam fructus etiam in strictis iudicijs debentur *a*. Dicunt communiter quod ex eo tempore in his iudicijs etiam vsuræ debeantur. Falluntur *b*.

a Nam est æquissimum ut lite contestata omnis causa præstetur. l. 2. l. videamus. 38. §. si actionem. h. t. *b* Nam fructus in his iudicijs post litem contestatam ex æquitate debentur l. videamus 38. §. si actionem. 7. h. t. Vsuræ autem non habent vicem fructuum in strictis iudicijs ut in bonæ fidei l. vsuræ. 34. h. t.

35. Mora defuncti transmittitur ad hæredes: nec noua interpellatione opus est *a*. & mora principalis nocet fideiussori *b*.

a Nam

a Nam mora perpetuat obligationem tam in debitorum quam successorum persona *l. si seruum* 91. §. Nunc videamus. 4. de V. O. Et haeres succedit in omne ius defuncti, in commoda & in incommoda etiam in vitia quae in defuncto fuerunt. *l. cum haeres. de diuers. temp. praescript. l. Non solum. §. pende lib. caus. l. C. vitia de acquir. poss.* Et transmittitur mora non tantum ad proximum sed etiam ulteriores. Nam quae iure hereditario heredi proximo competunt, & sequentibus competunt in infinitum. Cuiac. tract. 8. ad Afric. *b* *l. Mora rei. 88. d. l. si seruum. §. Nunc videamus. 4. de V. O.*

36. Effectus morae ex parte creditoris est, quod, si debitum oportuno tempore & loco oblatum accipere recuset, omne rei periculum in eum transferatur *a*. Idem est si in quantitate accipienda ut in decem moram fecerit creditor *b*.

a *l. si soluturus* 39. de solut. Nam & creditori sua mora nocere debet *d. l. in condemnatione §. unicuique. de R. I.* *b* Nam licet dici possit non ea decem perisse, quae debebantur cum genus non pereat, tamen iniustum est teneri eum pecuniâ amissâ, qui non teneretur, si creditor pecuniam accipere voluisset. *l. Qui decem* 72. in pr. de solut.

37. Mora commissa potest certis modis purgari; purgatur autem mora debitoris, si is aliquando interpellatus noluit soluere, postea autem constanter offerat.

l. si seruum. 91. §. sequitur. 3. de V. O. Nam creditor non potest ideo iuste recusare, quod debitor aliquando interpellatus solutionem distulerit. *Don. de mor. c. 8.*

38. Quidam ex Doctoribus ad purgandam moram praeter oblationem requirunt etiam consignationem & depositionem. Satis pro imperio. sufficit sola oblatio.

Nam in legibus dicitur oblatione moram purgari d. l. si seruum. 91. §. sequitur. l. Interdum 73. §. fin. de V. O. Ideoque consignatione & depositione non est opus.

39. Et haec ita se habent si mora facta res adhuc sit integra *a*: postea non potest mora purgari *b*, nisi simul offeratur, quod abest creditori *c*.

a Nam in prateritum sibi nemo potest sua diligentia prospicere. nec qui semel nocuit, potest sua diligentia facere, ne videatur nocuisse.

b l. Quod tamen. 21. in fin. iunct. l. seq. de recept. arb. Nam hoc casu suo iure creditor potest creditum recusare. *c* Nam si hoc fiat non potest in ste recusare. solutionem creditor. vid. Cuiac. ad l. si insulam. de V. O.

40. Non potest autem in infinitum mora purgari: ante litem contestatam potest. An etiam postea, quæritur: Negamus ex sententia communi quam tenet etiam præcept. Valent. Forsterus. nec distinguimus inter obligationem dandi & faciendi.

l. si insulam. 84. de V. O. Nam hoc casu frustrator nimium pertinax est & facit se indignum beneficio purgationis quod ex bono & equo introductum est. *l. si seruum. 91. §. sequitur. de V. O.*

41. Non potest autem mora purgari in obligationibus, quæ diem habent cum poena *a*. Si poenam habeant sine die, purgari potest *b*.

a l. Traiectitia. 22. de Oblig. & act. l. Celsus ait. 23. in prin. de recept. arb. Nam hoc casu, poena debetur ex conventionione, quia id actum est. quod autem alicui iam debetur, id non potest ei oblatione auferri. *l. Habere de enict. l. penult. de pact.* *b* l. Quod tamen 21. §. fin. de recept. arb. l. 1. de penu leg. Nam in eo, qui paratus est dare non commissa est stipulatio poena quia de eo non potest dici, non dedisse, quod debebat. cum videatur eo ipso dare quod offert. Vbi autem iam coepit agi de poena tarda nimis & sera est oblatio. Cuiac. ad *l. si insulam. de V. O.*

42. Purgatur etiam mora nouatione *a* & hoc etiam de nouatione quæ conditionem habet verum est, vt statim ipsa stipulatione mora purgetur *b*. licet prior obligatio, antequam conditio existat, non purgetur *c*.

a l. Nouatione 18. l. Emtorem. 27. de nouat. *b* l. Quoties in pr. de nouat. Nam creditor aperte remisit necessitatem soluendi ex prioris obligatione. & sic censetur etiam remisisse quæ ratione prioris obligationis competunt. *c* §. Prater ea. vers. Quod autem diximus. Instit. de nouat.

43. Sic

43. Sic creditor potest moram suam purgare. purgat autem si rem oblatam aliquando accipere detrectavit, postea autem paratus sit accipere.

l. Debitor 7. h. t. Nam non potest ideo debitor denegare solutionem, quod antea creditor improbe noluit accipere. Et sic stat tunc per debitorem quo minus quid fiat, quodcum in mora ponit & creditoris moram excusat, cum ultima mora semper noceat. l. illud. 17. de peric. & com. rei vend.

COROLLARIA.

I.

Princeps solutus est Legibus. *an hoc verum sit de caducariis tantum legibus aut pœnariis: an verò de solemnibus: vel annon princeps tantum videatur legibus solutus, vere autem non sit?* Putamus cum Bodino Principem legibus civilibus solutum esse.

Nam Princeps habet ius maiestatis. Maiestas autem est potestas in ciues vel subditos politica & summa. quid sequitur? quod rem absoluit: principem non agnoscere potestatem maiorem. Nam summa potestas est qua non est maior. Consequum est, ut dicamus, principem etiam à potestate legum solutum esse: & ne distinguamus inter caducarias, pœnarias aut solemnias: nec tantum videri. Nam qua potestas Principem ab his legibus absoluit, eadem facit, ut ab omnibus legibus civilibus sit solutus. vid. Bodin. 1. de Rep. c. 8.

II.

Annon etiam Papa sanctissimus iste pater legibus sit solutus: annon ideo maximè, quod sibi maiorem potestatem sumit imperatoriâ, dum

dum se Soli assimilat: Imperatorem verò Lu-
næ *a* ? satis arroganter. negamus Papam legi-
bus solutum *b*.

a c. solita. De maiorit. & obedient. *b* Nam Papa non habet ius
maiestatis siue politicam & summam potestatem, quæ principem à le-
gibus absoluit.

III.

An canones habeant vim legis? Ex se non
habent *a*: habent autem ex accidente *b*.

a Nam canones non potuerunt vim legis accipere à Pontificibus,
cum ipsi legis condendæ potestatem non habeant. hæc autem potestas
est solius Principis iure maiestatis. l. fin. C. de ll. *b* Ex confir-
matione scil. Principis. Sic Imp. Iustinianus confirmavit canones
per Nou. 131.

F I N I S.



ULB Halle

3

003 913 791




56,

107







32
f.

DEO BENE IUVANTE
DE MORA.
Sub Præsidio
FRIDERICI DASY,
PODII I. V. DOCTORIS
ET PROFESSORIS IN
acad. Iul. primarij
disputabit
ex sequentibus thesibus
ERICVS CLACIVS Mund.
IX. Maij,
in auditorio maiori

*In Veri inuestigatione, dua res maxime fugienda sunt:
primium, ne res incognitas pro cognitis habeamus, hisque temerè
assentiamur. secundo, ne nimis magnum studium multamque o-
peram in res obscuras minimeque necessarias conferamus. Tul. in
offic.*

1598, 2
8

HELMAESTADII
Excudebant hæredes Iacobi Lucij, Anno
M. D. XCVIII.